DE LEGE NATURAE OFFICIISQUE EX EA PROFLUENTIBUS METAPHYSICA DISSERTATIO...

Luigi Taddeo Tamburini



DE LEGE NATVRAE

OFFICIISQVE EX EA PROFLVENTIBVS

METAPHYSICA DISSERTATIO

HABITA IN SEMINARIO

ET COLLEGIO PISTORIENSI

AB ALOISIO THADDAEO


T A M B V R I N I

P A T R I C I O   M A N T V A N O

IN EODEM COLLEGIO CONVICTORE

ET PHILOSOPHIAE, ET MATHESEOS

A V D I T O R E.



F L O R E N T I A E.   MDCCLXXVIII.

Ex Typographia Francisci Moücke. *Praesidum facultate*.



NOBILISSIMO, ET AMPLISSIMO VIRO

CAROLO EX COMITIBVS
DE FIRMIAN

DOMINO IN CRONTMEZ, MEGGEL, ET LEOPOLDSCRON

IOSEPHI II. CAESARIS
ET
MARIAE TERESIAE
AVGVSTAE

PP. FF. II.

A CVBICVLO, ET A SANCTIORIBVS CONSILIIS, CVRSVI PVBLICO IN ITALIA PRAEFECTO, MANTVAE, SABVLONETTAE, ET BOZZOLI PRORECTORI, IN VNIVERSIS AVSTRIACAE LONGOBARDIAE PROVINCIIS PLENA CVM POTESTATE ADMINISTRO, SVPREMI REI LITTERARIAE MAGISTRATVS PRAESIDI &c. &c.

ALOISIVS THADDAEVS TAMBVRINI

DEDICO, CONSECROQVE



Iovis altisoni proles, o qua alma Virorum
Emicuit nutrix, victis & Graecia maior
Clarum spirat adhuc fatis, tibi lucidus aether,
Lascivi & plaudunt Venti, tibi ferrea paret


Annorum turba omnivorum, atque oblivio noctis
Arbitra Lethaeae, insultans & fortibus ausis
Livor; te memores fastus, titulique decentes,
Te fasces, & opes dominae, laudum & chorus omnis
Te sequitur; Geniis per te stipata decoris
Clarat Fama Viros, solvi & renuentibus alis
Nomen agit magnum ponti supra aequora, supra
Auricomum Titana, & navifragos Aquilones.
Deliciae o Divum, Virgo Inclyta, fida tuorum
Spes, columenque, tuo quondam si numine cautus
Aeolides, tantum sobolesque imitata parentem,
Extremum Tanaim ultra, Atlantaeosque recessus
Maeonia sonuere tuba; iam suffice vires
Nobis, ingentesque animos, Diva Inclyta, Tanti
Dum canimus generosa VIRI *praeconia, & olli*
Fingimus egregios numeros, quos effera Martis
Non rabies, non imber edax, Austrique procaces,
Non violent nimbi, iaculataque fulmina Caelo.
Tuque decus Patriae, o & Palladis incrementum,
Praesidium, o tutela Virum, quos lumine cernit
Mercurius placido, Charites quos munere donant,
Munere Mygdoniis centum potiore lapillis;
Sis bonus o, audacesque ratim dum credimus alto
Da faciles in vela auras, da, CAROLE, *dextro*
Omine me sanctas doctrinae accedere partes,
Naturae & penetrare adytus; quas illa sagaci
Usque sedens solio tulerit mortalibus aegris

Le-

Leges, quid mos, & ratio, quid iusque, piumque,
Quo mihi principium Divae, quas ordine laudes,
Grandia facta Viri, *& totum vulgare per orbem*
Incipiam, Pimplaeque suavi spargere rore,
Quem non unquam Hebe Iunonia, cara Tonanti
Troidos aut proles mensis fudere Deorum.
Viderat ille Heros tantis virtutibus auctus
Vrbem, quam vitreis late discriminat undis
Ticinus, tristi longum torpere veterno,
Dum haec secum: Non marmoreis innixa columnis
Templa, nec auratis distincta aulaea figuris,
Non quae alienis ornatur, ceu garrula cornix,
Nobilitas plumis, non rapta ex hoste trophaea
Concelebrant urbes, ipso at pretiosior auro,
Necnon ipsa sui merces pulcherrima Virtus.
Rumpe moras, mi anime, & quod non praestantius ullum
Aggredere o facinus, sacroque calentibus igni
Ingeniis sternatur iter, despectaque Musae
Colla levent, raucum sileat formosa Lyceum
Attica, quaeque alto pugnacis robore dextrae
Attonitum, doctis superabit & artibus Orbem.
Nec fatus plura: Austriacae cum dulcibus auris
Adiutus Dominae accitos ex omnibus oris
Invitat pretiis, quos Omnipotentis Olympi
Tutatur favor, & molles aluere sub antris
Aoniis Musae. Salve o iustissima cura
Caelituum, atque hominum, & Parnassidos Hippocrenes.

Auſpice te varios Caeli quae dirigit ignes
Vranie divina, & pulvere ſordida pulchro
Demiſſis oculis, rugoſa & fronte Matheſis
Inſigni incumbunt operi, quo rura Canopi
Aequo ditavit vel primum opulentia cornu;
Te monſtrante viam flavi ſata ſanguine Phoebi,
Qua triſtes paſſim morbi, atque examina dira
Curarum effugiunt, niveis invecta quadrigis
Arva ſimul, populoſque perambulat aurea circum
Vſque Salus, riſuſque, Deae comitatus, aguntur,
Greſſu pone ſubit lento Sophia, atque Sorori
Larga recludit opes, felix quas Attalus unquam,
Non Lydus vidit Croeſus, non India, ditis
Non domus Arabiae miſit, non barbara Memphis:
Per te incorrupti ſollers prudentia iuris,
Progenies Themidis, qua magni urbs alta Quirini
Non ducibus metuenda feris, non milite Marſo
Infandaſque aquilis ſpirantibus undique clades,
Regnat adhuc, praeclara ſuos expromere foetus
Gaudet, & inſomni dudum vigilata labore
Oracla efferre, & circum plaudente corona
Auribus inſtillare almo perfuſa nitore,
Hyblaeo & flore, ambroſio mollitaque ſucco.
Salve iterum atque iterum, tecum prudentia binis
Laeta oculis, taciturna vices hoc temporis acti,
Quodque futurum illo, partes ſpeculata per omnes,
Et ſtudia omnivola, & primo mendacia motu,

Indomitos cohibens aestus animique furores
Longum exploratis mollissima tempora tentat
Consiliis, factisque; at Vulgi ignobilis acri
Excipitur risu, donec fortuna secundo
Adspirans flatu, lateri haereat, omnia & illi
Exoptata ferat; tecum velataque panno
Pura fides albo, Decorum tibi candida turba
Certatim arridet, solidoque perennius aere
Attollit monumentum; o vere sedibus altis
Demissum genus, o & vita gratius ipsa
Hisque oculis astrum, gelidas Umbronis ad undas
Quae me perdocuit morum sapientia, vultu
Excipe pacato, aeterno haec condire lepore
Diva per informis squallentia flumina Lethes
Annuit, aureoli steterunt in vertice crines,
Quo mare, quo terras, quo mulcet inania Caeli.





DE LEGE NATVRAE

OFFICIISQVE EX EA PROFLVENTIBVS



SI ex inerti, otiosaque materia omni virium, & motus intrinseco destituta principio, atque ex mirabili Mundi ornatu, & partium dispositione Naturam aliquam multo magis quam assequi cogitatione possumus, excellentem, atque praestantem, quae magnam gerat nostrarum rerum, assiduamque curam, quae bene pro meritis capiatur, quae poenas, ac praemia dividat, quae ferat implorantibus opem, quae denique cuncta numine moderetur suo, sapientissimum scilicet, ac praepotentem Deum existere aetatum omnium saniores Philosophi unanimi consensione recte intulerunt; nonne potiori iure ab eodem aeterno Moderatore, & Parente Deo ad beate vivendum eae Leges in hominum cordibus insitae agnoscendae sunt, quibus veluti inconcussis, altissimisque principiis, qui politicas gentium formas instituere aggressi sunt, potissimas regiminis causas statuere, cum a supremi Numinis sapientia, providentia, bonitate summopere abhorreret amplissimam hanc rerum universitatem, ut omnibus in comperto est, qui in illam oculos, mentemque convertunt, non mutabilibus quibusdam, ac variis, sed certis perpetuisque legibus regi, animos vero materia solutos, libertate praeditos, vehementioribusque assidue iactatos cupiditatibus, nullis legibus gubernari? Quis nostra ergo damnet haec iam conamina, si tanti Viri suffulti patrocinio eos hodierna luce aggredimur refutandos, qui eam legem, quam ex natura ipsa accepimus, hausimus, expressimus, aut ex unanimi popu-

pulo-

pulorum omnium consensu, aut ex privato solum iudicio, amore, atque utilitate, aut alio quolibet nefario absurdissimoque principio turpiter deduxerunt? Quod ut rite assequamur, invictissimis primum rationum momentis naturae legem singulis hominibus summo, peculiarique Dei munere concessam statuemus, eaque subinde evolvemus officia, quae ex ipsa, ceu quodam uberrimo e fonte, proficiscuntur.

DEFINITIO.

LEx desiniri solet regula quaedam, aut mensura actuum humanorum, per quam ad id, quod rectum est, agendum, & quod pravum est, omittendum dirigimur; seu potius ordinatio rationis imperans honesta, prohibens contraria.

PROPOSITIO I.

Exposita superius lex a supremo Numine indita in singulis hominibus existit.

LEgem illam, quae invariabiliter, ac inseparabiliter homini sequitur naturam, neque hominum ingeniis excogitatam, nec scitum aliquod esse populorum, sed aeternum quiddam, quod universum Mundum regat, imperandi, prohibendique sapientia, quis audebit inficiari, dum probe intelligat Deum O. M. ac sapientissimum non eo homines universos condidisse consilio, ut assiduis calamitatibus & miseriis angerentur, sed ut summam, perfectamque assequerentur felicitatem, quam cum infirmis naturae viribus eam sibi nequeant homines comparare? Nonne ex natura Dei Optimi, sapientissimi, beneficentissimi necessario consequitur, quod ea ipse hominibus media suppeditet, quibus ad summam hanc felicitatem, suum veluti finem, perpetuo dirigantur? Atqui media, quibus homines felices, beatique effici possunt, sunt divina Legislatio, seu communicatio supremae rationis Divinae brevi hominis rationi, & gratia, seu communicatio bonitatis Divinae, quibus infirmae humanae naturae vires augentur adeo, perficiunturque, ut praesidiis hisce validissimis instructae perfectissimum felicitatis apicem possint attingere. In omnium ergo hominum cordibus insculpta affulget, qua providentissimum Numen eorum mentes moderatur. Et sane quis unquam reperietur, licet impudentissimus, qui non asserere solum, sed cogitare etiam maxime non perhorrescat, nil hominem adulterum, & parricidam a viro probo, & honesto differre, omnique scelere & culpa in Deum impietatem vacare? quod fieri nullatenus posset, nisi communi quadam lege homines singuli ad id, quod iustum & honestum est,

am-

amplectendum, quod vero turpe, fugiendum impellerentur, quemadmodum vel ipse Iacobus Roussoius animadvertit. „ Jettez les yeux sur
„ toutes les nations du monde, dit I. I. Rousseau, Emile Tom. III.,
„ parcourrez toutes les histoires; parmi tant des cultes inhumains, &
„ bizzarres, parmi cette diversité prodigieuse de moeurs & de chara-
„ cteres, vous trouverez par tout les mêmes idées de justice, & d'
„ honneté, par tout les mêmes notions de bien, & de mal. L'ancien
„ paganisme enfanta des Dieux abominables, qu'on eût punis içi bas
„ comme des scelérats, & qui n'offroient pour tableau du bonheur
„ suprême que des forfaits á commettre, & des passions à contenter.
„ Mais le vice armè d'une autorité sacrée, descendoit en vain du sé-
„ jour éternel, l'instinct moral le repoussoit du coeur des humains. En
„ célébrant les débauches de Jupiter, on admiroit la continence de
„ Xenocrate, la chaste Lucrece adoroit l'impudique Venus..... La
„ sainte voix de la nature, plus fort que celle des Dieux, se faisoit
„ respecter sur la terre....

„ Il est donc au fond des ames un principe inné de justice, &
„ de vertu, sur le quel, malgré nos propres maximes, nous jougeons
„ nos actions, & celles d'autruy comme bonnes ou mauvaises, & c'
„ est a ce principe que je donne le nom de conscience.... „

Quomodo enim Deus O. M. sapientissimus, intelligentissimus, ac beneficentissimus dicendus videretur, si mortalium mentes gravissimis tenebris circumfusae nullis interius legibus regerentur, assidueque suis in operationibus voluptatum fluctibus iactatae ab illo, quem a Deo constitutum acceperunt, fine deflecterent? Apertissime deinde nonne cum summa Dei bonitate, & providentia pugnaret, quod animalis hominum vita mechanicis legibus regeretur, ipsorum vero rationalis, & moralis vita longe praestantior, sine moralibus legibus pecudum more traduceretur? Si enim ad singulas animantium species, pulcherrimumque ordinem, qui in universo conspicitur, plurimum contulit, ut ferae instituto quodam, ac lege regerentur, unde inter ipsas amicitia, societas, mutua connexio reperiretur, quanto ergo convenientius, & utilius hoc in homine praestari debuit? Cum vero Deus homines condiderit, ut libera voluntate seu dominio caeteris rebus omnibus uterentur, eisque veluti certas leges imponerent, quis non intelligat, ut homo ipse certis quibusdam legibus a Deo veluti supremo omnium Domino dirigi, vel obligari deberet? Quae quidem veritas luculentius adhuc se prodet, si ad rationalem hominis naturam parumper attendere velimus. Nonne enim hanc maxime decuit, ut cum se innumeris propemodum beneficiis a Deo exornatam, & illustratam esse animadverteret, intimo quodam, ac sincero animi sensu afficeretur, ut Auctorem beneficentissimum, & amantissimum coleret, ac veneraretur, suosque mo-

mores, & actus ita componeret, ut divinam illius voluntatem exequeretur, illique prorsus obtemperaret? quod certe fieri non poterat, nisi Deus certis legibus suam hominibus voluntatem ostenderet, quibus se coli voluisset.

Ex quibus omnibus non modo Legum necessitas, & convenientia consequitur, sed evidentissime etiam eruitur, unde illarum vis, & auctoritas, a supremo nimirum rerum omnium Opifice dimanet; cum enim liberas hominum voluntates ille condiderit, ab ipso quoque eaedem legibus, veluti quibusdam fraenis, erant coercendae, ne in quemlibet actum indiscriminatim spatiarentur, nullique legi, vel ordini obtemperarent.

COROLLARIUM I.

PErperam ergo Legis naturalis originem a communi omnium consensu ducendam nonnulli censuerunt. Quid enim hoc insulsius fingi, excogitarique potest? Si enim rerum honestas, & naturae ius ab unanimi populorum omnium consensu est repetendum, quis hoc perfecte dignoscere posset, cum in maxima ignoratione versemur omnes circa mores, & instituta populorum omnium, ac nationum, quae peculiares & proprias leges singulae habent, quibus in vita feliciter peragenda diriguntur, ut vix, ac ne vix quidem distingui possit utrum mos ille, qui apud ipsas invaluit, ex naturali, vel potius civili iure profluxerit? Hinc non ideo honesta, iurisque naturae censeri debent, quod a populis omnibus probentur, sed ideo potius a gentibus & nationibus illa probari dicendum est, quod honesta, ac naturali iure praescripta sive proposita fuerint.

COROLLARIUM II.

QVid insuper magis exitiosum, magisque absurdum Hobbesii Systemate effingi potest, quo infensissimus humanae naturae hostis statuit omnem naturalis iuris originem ex privato solum iudicio, amore, atque utilitate esse deducendam, & illa solum honesta, & iure naturae praescripta, quae privatae cuiuslibet utilitati conferre videntur? Inprimis namque animadvertit Hobbesius nullam inter homines societatem, nullumque foedus esse ineundum, nisi commodi, vel utilitatis amore; hinc unius potius, quam alterius amicitiam expetendam, ac favendam docet, quod exinde maior utilitatis spes affulgeat. Definit namque ius naturae *dictamen rectae rationis circa ea quae agenda, vel omittenda sunt ad vitae, membrorumque conservationem, quantum fieri potest, diuturnam*, proindeque statuit, *naturam unicuique hominum*

num aequale ius concessisse in omnia, id est unicuique licere facere quaecumque & in quoscumque libet, quae sua interesse putet, atque idcirco in statu naturali mensuram iuris esse cuiusque utilitatem. At quid scelestius excogitari potest, quam statum aliquem supponere, in quo Creator existere voluerit creaturam ratione praeditam, quae facultatem habeat promiscue saeviendi etiam in parentes, dummodo ipsi utile videatur? Imo si omnia iuxta privatum dumtaxat commodum & utilitatem, nulla caeterorum hominum ratione habita, metiri quisque posset, cum caeteris quoque eadem praebeatur facultas, nonne exinde consequeretur, quod ea quae propter utilitatem constituuntur, utilitate alia convellerentur? Deinde si morum honestas & naturae lex a propria singulorum hominum utilitate foret expetenda, cum huiusmodi utilitas in variis hominibus varia esse debeat, ipsa quoque actuum humanorum honestas in variis, oppositisque rebus, & obiectis consisteret, & lex naturae constans, atque invariabilis esse non posset: quod est omnino absurdum.

Accedit quod nullus amplius virtuti, nullus clementiae, nullus sapientiae locus superesset, quin potius ab ipso naturae iure deflecteret quicumque propriae utilitati patriae, parentum, liberorumque amorem anteferret. Ingenitum certe est singulis hominibus, atque illorum cordibus inditum suimetipsius studium, atque innata sui conservandi perficiendique cupiditas; at non ita tamen, ut mutuae societati & amori, & communi etiam aliorum, quos nobis similes, & aequales esse deprehendimus, utilitati opponatur, sed illa propriae utilitatis cupiditas, suique amor ita temperari debet, ut illa nobis utilia & commoda complectamur, quae in aliorum, & patriae praesertim perniciem cadere non possunt, semperque parati esse debemus, si id honestas requirat, proprias etiam utilitates, fortunas ac vitam ipsam contemnere, ut patriae, humanique generis commodo consulamus. Iure ergo, meritoque, ut Becherus apposite animadvertit, nefarius Hobbesius principiis huiusmodi iustum, & iniustum perperam aestimat, legem male definit, principem impie solvit lege, civitatem, quam adornat, aut deformat, aut evertit, pactorum religione non multum tangitur.

COROLLARIUM III.

Corruit insuper longe nocentius systema Benedicti Spinosae, qui ut legem omnem naturalem, & societatem penitus everteret, contendebat Dei potentiam, & eius ius idem esse, eamdemque deinde prorsus rem esse Dei & Creaturarum potentiam, omnemque postremo libertatem Deo, & hominibus adimere ausus fuerat impudentissime. Atque ut a priori illo, quo idem systema innititur, fundamento convellendo, aver-

avertendoque exordiamur, quis optime non deprehendit quod licet supremi Numinis potentia, voluntas, ratio una eademque res sint, Divinae tamen voluntatis norma non ipsa voluntas sit, sed divina ratio, seu intelligentia, qua iusti, & honesti immutabiles notiones continentur? Licet ergo suum Deus voluntate & potentia in singulas res supremum ius & imperium exerceat, Divina tamen voluntas non ita est accipienda, ut eadem sit cum potentia Divina. Quare cum eiusmodi ius, & dominium ex eo potissimum oriatur, quod Deus cuncta condiderit, eaque assidue condat, & conservet, adeoque essentialiter cum rerum dependentia a Natura Divina coniunctum sit, perperam eiusmodi divinum ius cum potentia Divina confundere, ac permiscere conatur Spinoza. Ad alterum vero quod spectat, quis unquam sanae mentis reperietur, qui Deo libertatem praeripere audeat? Cum enim Deus a nullo prorsus exteriori principio pendeat, ad agendum potius hoc, quam illud, determinari extrinsecus non poterit; scilicet extrinsecus erit liber, intrinsecus etiam suae naturae necessitate determinari non potest ad hoc potius, quam ad illud extra se agendum, siquidem tota Dei natura in se est perfectissima & sibi sufficientissima, nec necessario ferri debet nisi in seipsam.

Deinde exteriores res omnes omnino variabiles cum sint, necessario connecti nequeunt cum natura immutabili, & necessaria. Nimis ergo a recta ratione alienum est, quod confinxit Spinoza prima parte Ethicae propositione XVI. XVII., & XXXIII. res Universi huius omnes esse modificationes substantiae Dei, & fieri ex necessitate naturae Dei, & solis Divinae Naturae legibus, & necessario. Neque aliquid suffragari potest Spinozae materiam in suis omnibus partibus homogeneam sub forma arboris, ignis, cineris eamdem esse. Cum enim Entis immutabilis nomine intelligamus illud, quod nihil unquam de novo acquirit, nihil ex iis, quae acquisierat, amittit, & ratione substantiae, modorumque omnium semper est idem, sequitur, illud esse mutabile, quod cum ratione substantiae idem maneat, modificationes novas successive adipiscitur, & alia accidentia amittit, quibus antea afficiebatur; secus nec Proteus, nec Vertumnus, nec Thetis celebriores illae humanae instabilitatis imagines, mutationi alicui obnoxiae dici potuissent. Iam vero per varias formas, & modificationes successive transit materia. Licet igitur quoad substantiam eadem maneat, mutationum omnium subiectum est, nec a Divina substantia necessaria & immutabili necessario potest profluere. Atque ut suis Spinozam principiis refutemus, confodiamusque: si ut, ipse Ethicae parte prima statuit, certo certius est, Dei Omnipotentiam actu ab aeterno extitisse, atque in eodem actu assidue esse permansuram, eamdemque praeterea ubique esse infinitam, quomodo eadem finitae singulorum actuum & entium

natu-

naturae poterit convenire, quorum potentia augustissimis est circumscripta limitibus, nec tota unquam in actu consistit? homines enim non totis suis semper viribus agunt, sed sola plerumque parte virium utuntur. Deinde cum effectus suis caussis respondeant, ex huiusmodi divinae atque infinitae potentiae participatione seu communicatione effectus sequeretur infinitus, quemadmodum ex infinitae lineae per infinita puncta multiplicatione rectangulum exurgit infinitum, quod omnino adsonum, & absurdum censeri debet. Participes quidem Deus homines effecit potentiae Divinae, sed ita quidem, ut vires & potentiae entium singulorum effectus quidem potentiae Divinae, non vero potentia ipsa Divina evadant, non secus ac vires illae motrices, quas homines machinis communicant, non ipsae sunt hominum vires, sed virium humanarum dumtaxat effectus, quemadmodum clarissimus Genuensis animadvertit. Convulsis itaque Hobbesiani, & Spinozistici systematis nefariis fundamentis caetera quoque, quae ex illis deducuntur, corruant necesse est. Praetermissis itaque, ne longius qua par est oratio nostra progrediatur, Grotii, Puffendorfii, Wolfii, Heinneccii, aliorumque de Lege Naturae inter se invicem & cum praeconstituta sententia parum congruentibus opinionibus, superest nunc, ut ea modo diligentius evolvantur officia, quae ab ipso naturae iure singulis hominibus indiscriminatim praescribuntur.

PROPOSITIO II.

Quae erga Deum ab hominibus exhibenda sint officia.

CVm ipsa naturae voce quisque intelligat Deum O. M. rerum omnium Supremum Opificem ac Dominum esse, & se ab ipso conditum, innumerisque beneficiis cumulatum sentiat, nonne clare videque agnoscet nihil magis decere, quam ut Deo ipsi vivido quodam, ac sincero grati animi sensu venerationem, amorem, & si quae fuerint alia devinctissimi, & obsequentis animi officia exhibeat? Et sane quis unquam reperietur, qui certissimis rationibus eruditus se a Deo productum esse, atque incredibili facultatum varietate exornatum, atque in amplissimo hoc rerum theatro ita esse constitutum, ut libere variis creaturarum generibus uti possit, Deumque ipsum veluti sapientissimum, potentissimum, perfectissimum, & beneficentissimum deprehenderit fieri ne poterit, ut intimo animi sensu & amore Deum ipsum non agnoscat, diligat, veneretur? Cumque se ingenito quodam amoris impetu ad bonum diligendum impelli sentiat, tantoque fortius allici, quanto perfectius & amabilius fuerit obiectum, quod ab intellectu sibi proponitur, clarissime quoque cognoscet, se natura ipsa ad

Deum

Deum ipsum, qui veluti summum bonum bona cuncta produxit, atque infinitam bonitatem in se complectitur, super omnia diligendum ita dirigi, ut nihil magis sibi naturali iure praescriptum sit, quam Deum ipsum puriori vehementiorique, & infinito quoque, si id fieri posset, ardore diligere. Quod si Deum veluti auctorem, patrem amantissimum, iustissimum, perfectissimumque grati animi sensu vel amore complectatur, intelliget etiam sine maximo scelere se ab illo fine deflectere non posse, quem Deus ipse sibi constituerit, omnesque deinde leges, sacrosque ritus, aut religionis actus, quibus Deus coli voluerit, sanctissime esse servandos. Deinde qui Deum veluti provisorem beneficentissimum paulisper consideraverit, nonne illico intelliget, duplici ratione ipsum esse excolendum, cultu nimirum, & obsequio, quo supremi Numinis maiestatem veneremur, & amore, quo ipsius amori, ac beneficentiae aliquas saltem, licet impares vices, memori, gratoque animo rependamus? Et ad cultum quidem quod attinet, optimo sane consilio apud nationes universas in more positum, atque institutum esse conspicimus, ut homines non intimo solum, ac sincero animi sensu, sed exterioribus etiam actibus, sacrificiis nimirum, ritibus, caeremoniis obsequium Numini testarentur, ut ii proinde, qui uno eodemque religionis spiritu in colendo Numine convenirent, hoc exteriori cultus genere arctissimo veluti foedere devincirentur.

Verum non communi solum gentium, ac nationum omnium consensu, sed rationibus etiam ex ipsa religionis notione petitis Deo nedum internum, sed externum etiam cultum exhibendum esse patet luculentissime. Cum enim *religio* definiri soleat *virtus quae Deo tanquam supremo omnium Domino debitum atque congruentem cultum adhibet*, quis summo Deum amore summoque obsequio colendum esse inficias ibit? Et sane, cum Deus ens sit perfectissimum, infinitum, & nostri Pater optimus atque amantissimus, immensusque felicitatis fons & origo, & rerum omnium Dominus: iure ergo, ut optime animadvertit Genuensis, fieri non potest quin merito Deum cultu illi prosequantur, qui Deum ipsum huiusce aspectabilis mundi universi opificem sapientissimum, providentissimum, optimum, iustum, omnia inspectantem, & rebus singulis praesentissimum deprehenderint. Quod vero Deus externo etiam cultu, invocatione nimirum, gratiarum actione, sacrisque ritibus sit excolendus, ex eo maxime colligitur, quod humanae naturae quadam necessitate a Deo exoptare assidueque exposcere debemus, ut ea, quae nobis bona & utilia sunt, conservet, plurima, quibus indigemus, conferat, & quae mala sunt, a nobis avertat. Tandem cum quidquid boni habent homines, supremo id omne Numini & auctori bonorum omnium merito referre debeant, facile quisque deprehendet, hoc non interna solum gratiarum actione faciendum esse, sed externa

etiam

etiam oratione, iisque ritibus, & caeremoniis, quae certa veluti signa censendae sunt, quorum ope ea in memoriam revocantur, quae ad cultum divinum tum internum, tum externum pertinere videntur. Solo ergo naturae affulgente lumine intelligimus, Deum interius, exteriusque ab hominibus esse necessario excolendum.

COROLLARIVM I.

CVm ex historiarum monumentis, indubiisque Itineratorum relationibus constet nullam tam barbaram atque efferatam nationem in terris reperiri, quae Divinitatem aliquam non colat, & quae ei publice, privatimque exhibendum honorem non putet, quae fana, quae delubra, quae sacra, quae caeremonias non commendaverit; immerito ergo a perditissimis quibusdam viris vulgatum est, atque incautae mentis homines in suspicionem adducti sunt, a magistratibus, virisque principibus reipublicae causa religionem invectam fuisse.

COROLLARIVM II.

VT debito homines obsequio & amore Deum prosequantur non morales modo actiones universae ad naturae legem conformandae sunt, sed cum ex ipsis virtutum omnium essentia dimanet, hinc eae colendae amplexandaeque virtutes sunt, quae ad Deum praecipue referuntur, quarum omnium basis & fundamentum est fides, quaeque non in speculativa dumtaxat Dei cognitione, sed in interno, externoque cultu versari potissimum debet. Cum vero ex sensibilibus, ac visibilibus Dei operibus quibusdam veluti gradibus ad ipsum intuendum, atque intelligendum liceat ascendere, nonne assidua rerum naturalium contemplatio ad fidem in nobis excitandam plurimum conferet? Quare ea procul a nobis sunt propulsanda, quae aliquam animis nostris iniicere valent dubitationem, fidemque ipsam imminuere ac labefactare, proindeque perniciosissimis quibusdam libris perlegendis, & perditissimorum hominum colloquiis maxime cavendum, ex quibus ceu pestiferis, ac venenatis fontibus plurima, gravissimaque in universam Christi Domini religionem nullo non tempore damna profluxere.

Quis in Deo O. M. ac beneficentissimo omnem spem & fiduciam collocandam esse non intelliget, dum probe animadvertat, omnia a Deo ad optimum finem dirigi? Quare si non praesentis tantum, sed futuri etiam, atque a providentissimo Numine sapientissime constituti rerum omnium nexus rationem habeamus, maximam semper in Deo spem & fiduciam collocabimus, & non modo nullis adversae sortis fluctibus iactabimur, sed calamitatibus etiam ipsis ingruentibus obviam ibimus audaciores.

Tandem quis ex summi optimique Numinis cognitione ad illius amorem non excitabitur, atque inflammabitur, praesertim cum divinas illius perfectiones, infinitamque bonitatem parumper fuerit contemplatus?

COROLLARIVM III.

CVm itaque duplici cultus genere, externo nimirum & interno, Deus colendus sit, hinc merito superstitiosi illi censendi videntur, qui in ritu solum externo supremi Numinis cultum collocant, atque eam vim, & efficaciam rebus creatis tribuunt, quae soli Deo competit. Est enim superstitio superstantium rerum, hoc est caelestium, & divinarum, quae supra nos stant, inanis, & supervacaneus metus, seu potius veri, aut falsi Numinis cultus vitiosus, atque inordinatus. Superstitionis crimine ii maxime sese obstringunt, qui ad suas effraenas animi explendas cupiditates rebus sacris turpissime abutuntur, & sanctiora religionis sacramenta sacrilegiis, profanisque ritibus laedere, ac temerare non verentur. Ad superstitionem referendae sunt divinationes omnes, quibus referta est Astrologia iudiciaria, quaeque a Cicerone definiuntur earum rerum, quae fortuitae putantur, praedictiones ac praesentiones, ut ex. gr. humanarum actionum, infirmitatis, aut valetudinis futurae non coniectura, sed quaedam scientia. Quis vero suum inducat in animum quod Deus occulto astrorum influxu rebus liberis & contingentibus provideat? Aut quis in astris descripsit eventus rerum futurarum? Poteritne astrologorum ingenium corporeis solum oculis, quorum sensus in ingentibus praesertim distantiis decipi facile potest, haec omnia animadvertere, planeque perspicere?

Cum vero omnis spes & fiducia in Deo O. M. ac beneficentissimo sit collocanda, nonne praeclarissimam hanc virtutem gravissime laedunt ii, qui tantum ab iustitia Divina sibi metuunt, ut de aeterna ipsorum salute insipientissime desperent, quique ob gravissimas, quibus plerumque implicantur, calamitates ita animum despondent, ut eas declinare somniantes mortem sibi nefarie consciscendo sapientissimum divinae providentiae ordinem invertant, sanctissimasque naturae leges perfringant? Quid vero de iis dicemus, qui perverso adeo sui amore ducuntur, ut omnia non ad Deum ultimum veluti finem, sed ad seipsos referant? Quid tandem de scelestissimis illis, qui eo dementiae, & temeritatis deveniunt, ut divinum supremi Numinis nomen summis ubique laudibus concelebrandum, profano ore execrentur?

PROPOSITIO III.

Quid erga seipsos ab hominibus praestandum sit.

ETsi, ut a Cicerone monemur, nemo ad amorem sui sit adhortandus, cum inutile prorsus, & supervacaneum sit in quod sponte imus, impelli, tamen cum huiusmodi amore ad ea plerumque diligenda, atque inquirenda homines excitentur, quae a pulcherrimo ratio-

tio-

tionis lumine, vel constituto fine illos avocant, ut sui uniuscuiusque amor ingenuus, honestusque sit certis quibusdam finibus ita circumscribendus, ac temperandus, ut religioni, mutuaeque societatis legibus nullatenus adversetur. Quod certe assequemur, si duplici respectu, quoad vitam scilicet animalem, & rationalem homines considerentur; atque ad utramque vitae rationem recte instituendam leges aliquae ex ipso naturae lumine, & moralis disciplinae principiis deriventur. Cum itaque animalis hominis vita in unione mentis & corporis, cuius causa est Deus; atque in earum facultatum usu sita sit; quae corpore quodam veluti instrumento exercentur; hinc in eiusmodi vita animali tuenda summopere est enitendum, ita ut nemini liceat sibi quacumque ex causa mortem consciscere; in hac enim vita, ut a Platone accepimus, veluti in custodia quadam positi sumus, neque decet quemquam ex ea seipsum solvere, neque aufugere; & quemadmodum in hanc vitam, inquit Lactantius, non nostra sponte venimus, ita rursus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis assignatum est, *eiusdem iussu recedendum est, qui nos in hoc corpus induxit tamdiu habitaturos donec iubeat emitti*. Homines, inquit Cicero, sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templi medio vides, qui terra dicitur; quare & tibi, Publi, & piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis, nec iniussu eius, a quo ille est vobis datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum designatum a Deo defugisse videamini; quod tamen ita est intelligendum, ut mortem quidem nullatenus nobis sponte inferamus, non vero quod ipsam necessitate naturae advenientem pavidi, trepidantesque refugiamus, cum eadem potius contemnenda, atque hilari, lubentique animo sit subeunda; haec enim gravissimis illis, quibus assidue premimur, nos eripit calamitatibus, & pios iustosque in perfectam, aeternamque affert felicitatem. Verum cum homines iure naturae ad vitam servandam obstringantur, quaeri hoc loco potest quousque a nobis id sit peragendum; iure quidem gentium ita comparatum esse intelligimus, ut arma armis propulsentur, vique vim refellere liceat; ipso tamen naturali, & humano iure erudimur id moderate, certisque legibus pro vario temporis, loci, rerumque discrimine fieri posse; nimirum in extremo vitae periculo, cum quis alium servare non potest, quin seipsum perdat, tunc enim, inquit Cicero, videtur nobis gladius ab ipsis porrigi legibus.

Iam vero non modo in custodienda tuendaque vita ex naturali iure est adlaborandum, sed corporum quoque nostrorum sanitas, & valetudo curanda; vitiato namque corpore vitae animalis officia rite praestari nequeunt; quare non modo corpori alimenta, quibus acerrimus famis, sitisque sensus extinguatur, concedi debet, quo fractae vires reparentur, ut alterna veluti laboris, & otii vicissitudine miserrima huius mortalis vitae conditio levior efficiatur. In his tamen omnibus temperies, & modus adhiberi maxime debet; qui enim otio mar-

 cere,

cere, cibisque se ingurgitare consuescunt, in gravissimas plerumque incidunt aegritudines, indeque corporis animique alacritas non mediocriter labefactatur. Quid vero de fortunae bonis ad animalem vitam substentandam, conservandamque pernecessariis dicemus? Bona certe fortunae, divitiae scilicet, honores, & amicitiae diligendae, vel inquirendae, aut si acquisitae iam fuerint, conservandae sunt; negligere enim quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam dissoluti. Illa tamen effraenis, atque insatiabilis divitiarum, & honorum cupiditas, qua humanus animus perdite deperit, ita leniri, vel potius extingui debet, ut parvo contentus meritis solum, ultroque oblatis honoribus delectetur.

Quod vero ad animi culturam spectat, quae tanto maior, & accuratior esse debet, quanto est animus corpore ipso nobilior & praestantior, illud in primis curandum, ut seipsum quisque primum noscat, viresque suas, & indolem accuratissime inspiciat, cumque se caelestis, ac divinae propemodum originis esse deprehenderit, se creatis omnibus, ac corruptibilibus rebus puriorem intelliget; hinc immortalis felicitatis amore excitatus nobilius certe de se, ac magnificentius sentiet, eaque summopere respuet, quae puriori rationis lumini, & naturae legibus adversantur. Quod ut rite assequamur, intellectus & voluntas primo est emendanda, ignorantiae scilicet, & errorum caussae procul arcendae, pravique habitus convellendi, ut rerum cognitione, & virtutum habitibus intellectus, & voluntas perficiantur; hinc variis rerum cognitionibus, & scientiarum luminibus intellectus est exornandus. Quoniam vero appetitus sensitivus ad bonum apparens persequendum plerumque fertur, curandum maxime est, ut eiusmodi appetitus atque affectus omnes rectae rationis imperio subiiciantur. Licet enim affectuum nomine intelligamus perturbatos animi motus, qui ad actus legi contrarios feruntur, si tamen ratione compescantur, atque ad actiones legi conformes dirigantur, non modo pravi, malignique non sunt, sed honesti etiam, atque utiles; ita si affectu gloriae utamur ad recte agendum, vitandumque crimen, ita ut absit omnis vanae gloriolae labes, iam affectus bonus est, & non solum extirpandus non est, sed etiam excitandus. Ad beatitatem vero comparandam nil certe magis confert, quam ut optimae quisque vitae statum eligat, in quo feliciter, & iucunde vivere possit; hinc maximus labor & industria est adhibenda, ut prius indolem animi, corporisque vires inspiciat, singulaque vitae genera perpendat, eaque ad examen revocet incommoda, quibus illorum singula premi solent, sepositisque affectibus omnibus illud eligat vitae genus, cui se parem & aptissimum noverit. Si enim illud vitae genus eligant homines, ad quod non accuratissima rerum cognitio, nec prudentis viri consilium, sed voluptatis ardor, sensibilium rerum illecebrae & casus ipsos impulerit, incredibile dictu est quot ex huiusmodi errore errores alii, & gravissima incommoda exorian-

rian-

riantur. Quare plurima in eligendo vitae genere sunt consideranda, assiduisque precibus divini Numinis auxilium implorandum, ne tanti momenti negotium temere suscipiatur, ex quo non praesens solum, sed aeterna etiam felicitas dimanat.

COROLLARIVM I.

OFficiis, quae erga nosmetipsos sunt exercenda, eae adiungendae sunt virtutes naturali eodem iure praescriptae, quibus illa summopere perficiuntur, quas inter ea primum recenseri debet, Prudentia scilicet, quam virtutum omnium fontem, atque reginam, & cum ipsa caeteras omnes coniunctas, ac permixtas Socrates existimavit. Haec a Cicerone definitur rerum expetendarum scientia, sive rerum bonarum, & malarum, & utrarumque scientia. Vt igitur actiones omnes ad finem illum, quem rerum omnium auctor illis praescripsit, honestatem nimirum dirigantur, rationes omnes sunt inquirendae, & loci, temporisque circumstantiae singulae sedulo circumspiciendae, sepositisque affectibus in exerendis actibus consilium illud eligendum, quod rationi consonum sibique tunc melius & optimum quisque animadverterit. Ad prudentiae vero regulas facilius comparandas plurimum conferet Sapientia, quae fines actionibus convenientes praescribit, & rationes ad finem obtinendum aptiores eligit. Deinde rerum praeteritarum memoria, qua nitide cognoscantur illa quae in similibus casibus, ac iisdem fere temporis, ac loci circumstantiis, feliciter vel infeliciter contigerunt. Cum vero vir prudens omnes actionis circumstantias diligenter observaverit, atque ex similibus exemplis operandi modum recta ratiocinatione derivaverit, si infelix rerum susceptarum eventus acciderit, strenuo constantique animo esse debet, cum non solum in quacumque rerum gerendarum fortuna, sed in quolibet etiam humanae vitae casu, rebusque adversis fortitudine opus sit, quae a Cicerone definiri solet animi affectio cum in adeundo periculo, & in labore, ac dolore patiens, tum procul ab omni metu. Hinc optime observat Cicero quod licet illa, quae fortiter & excellenter in bello gesta sunt, quasi pleno ore laudentur, non minor tamen gloria debetur illis, qui in pace, civiumque societate res praeclare fortiterque susceperint. Cum fortitudine altera quoque virtus necessario est coniungenda, quae Temperantia dicitur, quamque virtutis fundamentum, pulcherrimorum habituum munimen, animi robur, prudentiaeque conservatricem Pythagoras, Socrates, Plato, aliique mirifice commendarunt; quaeque cum Cicerone definiri merito potest *rationis in libidinem, atque in alios non rectos impetus animi firma, & moderata dominatio*. Pulcherrima itaque eiusmodi virtus a nobis maxime est excolenda, cum ipsius ope non solum corporeae sensuum illecebrae, corporis motus, & affectiones omnes temperentur, & rationi subiiciantur, sed ea plurima, & gravissima mala a nobis propulsemus, quae ex intemperantia proficiscuntur.

COROLLARIUM II.

Quemadmodum ex nitida sui ipsius notione naturae iure commendata plurimae dimanant virtutes, ita qui utilissimum eiusmodi studium negligendum putant, in vitia turpissima prolabuntur. Et sane qui nec seipsos, nec alios noscunt, supra caeteros sese intemperantius extollunt, atque adeo elati, tumentesque desipiunt, ut nihil tam sublime reperiatur, quo non contendant ascendere, nihil tam immensum, quod maiori non audeant fastu superare. Hinc ab omnibus suspici, intenseque coli desiderant, atque adeo gloriae, & honorum sunt percupidi, ut optimis quibusque viris eos praereptos velint: qui cum penitus ignorent quid valeant ipsorum humeri, quid ferre recusent, gravissimis sese negotiis gerendis impudentissime obtrudunt, miserrimoque illorum fato subiiciuntur qui suis non aequam viribus materiam suscipiunt. Virtutibus itaque superius recensitis vitia opponuntur; hinc fortitudini metus, & audacia adversantur, quorum alter est opinio impendentis mali quod intolerabile esse videatur, altera vero est inconsiderata periculorum susceptio. Qui enim timet, incapax est ad praeclara gerenda, & ad dura toleranda, quod fortitudinis proprium est. Illud autem hoc loco tenendum est, non fortis animi esse, sed ignavi, ac timidi, & desperantis, fugiendorum malorum, & incommodorum causa mortem sibi ultro consciscere, ut Aristoteles scribit lib. 3. Ethicae cap. 7. Mortem autem sibi ipsi consciscere, inquit, fugientem vel inopiam vel amorem, vel molestiam, fortis animi magnique non est, sed angusti potius, ac timidi. Nam quae laborem, sollicitudinemque desiderant, ea fugere ne malum habeas, mollis animi est, atque effoeminati. Adire vero pericula, cum ratio postulat, fortis, & robusti animi est; id autem facere inconsulto, & sine ratione, audacis est, & temerarii, ut inquit Cicero. In tranquillo enim tempestatem adversam optare, ait Cicero, dementis est; subvenire autem tempestati quavis ratione est sapientis. Ita non flagitante necessitate velle vita periclitari, quae cuique debet esse carissima, cum bonum sit omnium maximum in terris, imprudentia est, imo flagitium; at in periculis, si in aliqua incidamus, aut si qua adeunda sint honesti causa, forti atque excelso animo esse vehementer laudabile est, eademque ratione imprudentis est sese inconsulto proiicere in discrimen dignitatis, & fortunarum. Sed ita observandus est ordo, ut in periculis suscipiendis primum propositam nobis habeamus utilitatem reipublicae, tum vitam nostram, mox veram, solidamque famam, postremo bona fortunae, quae tamen contemnere saepe honestum est; maxime vero cavendum, ne levis emolumenti causa magnis nos periculis obiiciamus.

Temperantiae repugnat intemperantia, quae est immoderatus voluptatum amor, quas serviles, & belluinas esse scribit Aristoteles. Cum itaque

itaque in iis voluptatibus versetur intemperantia, quarum participes sunt animantes, earumque sensus sit in nobis, non ut homines sumus, sed ut animalia; his talibus delectari, easque adamare belluarum est, ideoque flagitiosum, foedumque maxime, quemadmodum semper viri sapientes censuerunt. In pecudum namque, scribit Macrobius, ferorumque animalium numero habetur quisquis est his ferarum voluptatibus occupatus. Ad haec maxime acerba intemperantis vita est, quippe qui cum plura cupiat, nec possit consequi, tristitia ac molestia afficiatur necesse est, quemadmodum ab Aristotele demonstratur libro tertio Ethicae. Quemadmodum enim, inquit Tullius, temperantia sedat appetitiones, & efficit ut hae rectae rationi pareant, conservatque considerata iudicia mentis; sic huic inimica intemperantia omnem animi statum inflammat, conturbat, incitat. Itaque & aegritudines, & metus, & reliquae perturbationes omnes gignuntur ex ea, quae quo vehementior est, eo magis mentem e sua sede dimovet, atque deturbat.

Omnium vero maxime temperantiae repugnat incontinentia, quae obscoenarum voluptatum vehemens quaedam & inconsiderata appetitio definitur. Nemo est, qui hoc vitium non putet esse turpissimum, maximeque flagitiosum, cuius vis tanta est, tantumque insolens, & malefica, ut homines in belluas mutet, quod incautis Vlyssis sociis contigisse Poetae fabulantur, qui in impuros lutulentosque sues mutati fuerunt, ut a Virgilio praesertim Aeneidum VII. miris coloribus Circaeam terram describente narratur:

Hinc exaudiri gemitus, iraeque leonum
Vincla recusantum, & sera sub nocte rudentum;
Setigerique sues, atque in praesepibus ursi
Saevire, ac formae magnorum ululare luporum:
Quos hominum ex facie Dea saeva potentibus herbis
Induerat Circe in vultus ac terga ferarum.

Horatius vero summis Vlyssem laudibus extollit, quod pestiferum eiusmodi maleficium, & dulces Sirenum cantus mira sagacitate declinaverit

Sirenum cantus, & Circes pocula novit,
Quae si cum sociis stultus, cupidusque bibisset,
Vixisset canis immundus, vel amica luto sus.

PROPOSITIO IV.

Ea hominis recensere officia, quae naturali lege erga alios iubentur.

ANtequam mutua societatis officia perpendamus, illud adversus nonnullos aetatis nostrae philosophos statuendum, homines natura ipsa ad societatem esse comparatos, iis nempe esse viribus ac facultatibus instructos, in ea esse positos rerum ad vitam etiam sustentandam per-

pertinentium inopia, ut nulla alia ratione felicitatem illam, quam votis omnibus expetunt, consequi possint, nisi aliquo societatis, ac mutuo caritatis, & amicitiae foedere coniungantur. Quid enim magis exitiosum, quid absurdius excogitari potest, quam homines confingere pene belluarum similes, errantesque in agris, & modo de potu, de cibo, de somno capiendo sollicitos, modo inertissime otiantes, modo in exagitandis, captandisque feris occupatos, non ipsius naturae voce ad societatem, sed fato miserrimo deplorandoque traductos? Quomodo enim fieri potest, ut cum hominum quilibet homines alios ab eadem causa creatos, eademque natura, iisdemque propemodum virtutibus ac viribus praeditos deprehenderit, ut eodem illos amore non diligat, & honore non prosequatur, quo seipsum diligi, & ab aliis amari, & honorari desiderat? Si enim universi hominum generis intimas essentialesque proprietates attentius perpendamus, facile intelligemus ab uno eodemque Opifice sapientissimo homines universos natura aequales conditos esse, atque ad mutuam societatem esse institutos, cum eadem naturae lege non modo quemquam laedere prohibeamur, sed omnes ut aequales atque in eadem societate constitutos spectandos iubeamur, ipsoque intimo animi sensu & naturae voce moneamur alteri faciendum non esse, quod nobismetipsis fieri nolumus, eodemque iure cum aliis agendum quod nobiscum alios agere exoptamus. Quae quidem omnia ex ipsa societatis natura, in qua constituti sumus, ut Seneca animadvertit, proficiscuntur. „ „ Nefas, inquit, est nocere patriae; ergo civi quoque, nam hic pars „ patriae est. Sanctae partes, si universum venerabile est. Ergo & „ homini, nam hic in maiori tibi Vrbe civis est. Quid si nocere „ velint manus pedibus, pedibus oculi? Ut omnia inter se membra „ consentiant, quia singula servari totius interest, ita homines singu- „ lis parcent, quia ad coetum geniti sunt; salva enim esse societas, „ nisi amore & concordia partium, non potest „. Naturae ergo lege singulis hominibus cautum est in alterius vitam, existimationem, dignitatem, in bona, in possessiones, in pecunias invadere. Illud autem maxime cavendum, ne alterius mentem laedamus: quod triplici ratione fieri potest, ipsius videlicet culturam negligendo, quoties aut natura, aut pactis, & conventione ad id praestandum teneamur, pravisque moribus, & doctrinis aliorum mentes informando atque inficiendo. Parentes itaque, & praeceptores, quibus erudiendorum adolescentium cura incumbit, sanctissimas hasce naturae leges evertunt, gravissimoque scelere sese obstringunt quoties ad susceptum munus diligentissime obeundum omnibus ingenii sui viribus non adnituntur. Certe legi naturali iniurii maxime omnium censendi sunt, qui incautis adolescentium mentibus errores instillant, pravisque sermonibus, corruptisque moribus vitiorum irritamenta suppeditant. Vitiato namque erroribus intellectu, voluntas quoque corrumpatur necesse est; hinc omnium scelestissimi, ac pervicacissimi evadunt, qui ex nefariis animo inditis sententiis, conce-

ceptisque persuasionibus ad perpetranda crimina excitantur. Quare si proximum graviter offendunt, & naturae ius laedunt qui aliorum corporibus vulnus infligunt, nonne eo maiora incommoda, & damna ex vulneribus animo inflictis proficisci censendum est? Itaque non solum gravissimum scelus est si alios in vitia & errores praecipites agamus, sed etiam a vitiis & erroribus alios excitare quantum in nobis est iubemur, ut ad meliorem virtutis insistendam viam, & ad peragenda quaeque praeclara iterum possint assurgere. Verum non modo natura ipsa impellimur ut aliis prodesse velimus prudentiae rationes tradendo, & a vitiis avocando, sed etiam naturae legibus erudimur, ut aliorum hominum famae atque existimationi sedulo consulamus. Cum vero bonorum omnium, quibus in societate frui possumus, maximum sit bona existimatio, quis sine maximo scelere alteri dedecus & iniuriam poterit irrogare, & si quae fuerint alia, quibus alterius honor & fama laedatur, cum dolorum omnium intensissimus sit qui ex laesa existimatione dimanat, hominesque adversus alios homines armat, & sanctissimum societatis foedus dissolvit? Contumeliae itaque, & iniuriae vitari maxime debent, neque solum ficta crimina immeritis atque innocentibus infligi non licet (quod sine summo iniustitiae & impudentiae scelere fieri non potest) sed etiam alterius crimina seu vitia, quae occulta fuerint, publicari non debent, & quamvis etiam publica, atque iis, quos alloquimur, perspecta fuerint, ita extenuari, excusari, vel in meliorem partem inflecti debent, ut odium, atque invidia, meliori qua poterit ratione, minuatur. Tantum itaque abest, ut conviciis, iniuriis, calumniis convicia, iniuriae, calumniae opponi possint, quod perditi quidam philosophi impudentissime existimarunt. Verum non calumniis solum, & contumeliis alterius fama laeditur, & existimatio, sed conviciis etiam, satyricisque scriptionibus. Honestis igitur, probisque hominibus diligentissime observandum est quomodo loquantur, scribant, operentur, idque eo maxime quod nihil tam cupidis, & pronis auribus audiatur, ut sunt hominum mores corruptissimi, quam livor, & obtrectatio. Quid vero de iis dicemus, qui si forte literis aliquid valent, elati adeo tumentesque desipiunt, ut ab omnibus suspici, impenseque coli desiderent, quique in aliorum opinionibus refellendis, propriaque causa tuenda impudentissime ita se gerunt, ut non ingenuo purissimoque veritatis, & honestatis lumine dirigantur, sed dicteriis, atque calumniis utantur, eoque dementiae & temeritatis deveniant, & se praeclare adversarios confutasse videantur, cum aut humiles & infames eorum genealogias contexuerunt, aut adolescentiae vitia amarulente descripserunt, aut mores corruptos graphice depinxerunt?

Cum vero societas, & humani generis tranquillitas haberi non possit, nisi hominibus serio, & constanter aliquid affirmantibus fidere possimus; hinc veritas & ingenuus animi candor requiritur, quo caeteros fallere, vel in errorem inducere summi dedecoris, & sceleris loco

co

co habeamus, ideoque nunquam mentiri, vel contra animi nostri sententiam loqui debemus. Praecipuum ergo honestatis, & societatis caput funditus convellere nituntur qui miris ambagibus, atque aequivocatione, & restrictione mentali veritatem obnubi posse existimant; quod tamen non ita est intelligendum, ut aliquando dissimulari, vel occultari veritas, & animi sensus non possit; in hoc tamen summopere curandum est, ut neque veritas exponatur, neque falsum asseratur; quod si aliquando cogamur aut veritatem ipsam nobis creditam patefacere, aut mendacio illam occultare, divino atque humano iure erudimur ut veritas ipsa, quae sine mendacio tegi non potest, appareat, quam ut mendacio, vel pravis, & inhonestis artibus occultetur; nullo nimirum pacto, munere, imperio, vel officio cogimur, ut secretum aliquod occultemus, quod sine scelere, sine mendacio occultari non possit, cumque mendacium ipsum divino, & naturali iure vetitum sit, nullo certe pacto, foedere, vel imperio excusari poterit.

Quid vero de iis dicemus officiis, quae naturae lege erga Principem, & Rempublicam praescribuntur? Cum enim certo certius sit, supremi Numinis nutu impelli homines ad societatem, eiusdemque custodem, libertatisque vindicem Principem Deus constituerit, quo salva, ac beata societas evaderet; (est enim libertas tum famae, tum vitae, tum rei familiaris, & omnium iurium possessio, de qua non sinit deturbari quempiam is, cui fuerit libertatis custodia & cura divinitus commissa) hunc ergo amore, & obsequio velut optimum Parentem prosequentur omnes homines, huic obtemperabunt, ab hoc afficientur poenis, exilio, vinculis, interitu, si e repub. id fore existimaverit; cumque in subditas sibi gentes teneat imperium, Deique omnium terrarum principis beneficio, & auctoritate populos moderetur, nonne consequens est, ut ei cultus tribuatur cum caritate, benevolentiaque coniunctus? quod non modo observantis est animi, sed etiam grati; innumera enim sunt bona, quae in nos confert conservator, rectorque societatis, cum suum cuique servet, & a vi, iniuriisque defendat, afferat pacis & ocii tranquillitatem, consulatque corporis incolumitati, cum rerum affluentia, & copia non modo ad vitae usum, sed etiam ad oblectationem, ad delicias, ad voluptatem. Quae quidem omnia eiusmodi sunt, ut impellere quodammodo debeant populum cum ad obediendum Imperatori, tum etiam ad eum & colendum & diligendum; ita certe ut cives nihil habeant in terris secundum Deum magis carum, & venerandum, quam Principis sui auctoritatem & vitam. Atque ut pro capitis salute membra periclitari consentaneum est, ita nullum debet esse periculum, cui illi non sese libenter obiiciant, ut salvus & incolumis sit qui praeest; sibi enim persuadeant oportet, violato, & laeso capite membra salva esse nullo modo posse. Quamobrem preces etiam sunt Deo fundendae pro Rege, ut assiduis illum cumulet beneficiis,

atque

atque in gravissimis regni negociis unam illi commonstret ducem divinarum sedium assistricem sapientiam.

COROLLARIVM I.

VT omnes officiorum nostrorum partes erga alios penitus adimpleantur, eae sunt excolendae virtutes, quae ex communis nimirum, & peculiaris amoris, sive amicitiae genere proficiscuntur, quaeque per solam honestatem, & turpitudinem intrinsecam determinantur. Quae quidem cum ex communi omnium hominum amore sint derivandae, de mutuo hoc ac reciproco amore pauca dicemus, antequam ad virtutes sociales evolvendas gradum faciamus. Plurimum itaque iuverit ad amorem in nobis aliorum excitandum, si ad ea solum attendamus, quae laudem, & admirationem merentur, benignoque animo ea interpretemur, quae in aliis reprehensione digna videntur. Cum vero nihil unquam virtute nobilius excogitari possit, nihilque quod magis alliciat homines ad diligendum, hinc mirabilis quaedam exardescit beneficentiae, & amoris magnitudo, dum aliquem nacti sumus, cuius cum moribus, & natura congruamus, quod in eo quasi lumen aliquod probitatis, & virtutis perspicere videamur; quare hunc non communi solum amore iure naturae complecti iubemur, sed praecipuo etiam mutuoque ad eum diligendum natura ipsa impellimur, sanctissimoque amicitiae foedere nobiscum illum coniungere adlaboramus. Quo sane amicitiae genere quid sanctius, quid iucundius, quid utilius esse unquam poterit? Haec enim, ut inquit Cicero, & secundas res splendidiores facit, & adversas partiens, communicansque leviores; cumque plurimas, & maximas commoditates amicitia contineat, tum illa nimirum praestat omnibus, quod bona spe praelucet in posterum, nec debilitari animos, aut cedere patitur, verum etiam amicum qui intuetur, tamquam exemplum aliquod intuetur sui; quocirca & absentes adsunt, & egentes abundant, & imbecilles valent, & quod difficilius dictu est, mortui etiam vivunt: tantus eos honos, memoria, desiderium prosequitur amicorum. Ad hanc ergo cum caeteris hominibus ineundam non propria uniuscuiusque commodo atque utilitate, sed virtute potius atque honestate praesertim impelli debemus, utilitates namque etiam ab iis percipiuntur, qui simulatione amicitiae coluntur. Illud autem in amicitiis ineundis cordi esse debet, ut ne nimis cito diligere incipiamus, neve non dignos; digni autem sunt amici, quibus inest in ipsis, cur diligantur. Leges autem in amicitia servandae ab Aristotele traditae, atque a Cicerone miris coloribus expressae, ad has rediguntur, scilicet ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati: deinde, ut ab amicis honesta petamus; amicorum causa honesta faciemus, si non expectemus quidem dum rogemur; ut ne criminibus aut inferendis delectetur amicus, aut cre-

dat

dat illatis. Qui in rebus humanis haud quidquam bonum norunt, nisi quod fructuosum sit, & amicos eos potissimum diligunt, ex quibus sperant, se maximum fructum esse capturos, pulcherrima illi, & naturali carent amicitia per se, & propter se expetita.

His ita delibatis naturales illas, seu philosophicas virtutes parumper contemplemur, quibus erga alios officia summopere perficiuntur, & quas inter principem locum obtinent humilitas, mansuetudo, modestia, urbanitas, & liberalitas, quarum altera, humilitas nempe, est illa virtus, quae hominem inclinat, ut de se, suisque omnibus modeste ac demisse sentiat, & loquatur. Mansuetudo vero opponitur irae, & quemadmodum clementia vindictam, ita mansuetudo iracundiam lenire debet, ideoque per illam animi temere in odium alicuius concitati comitate retinentur. Modestia, per quam pudor honestus claram, & stabilem comparat auctoritatem, internos nimirum, & externos animi motus moderatur. Urbanitas vero ludis iocisque, & iucunditati, quae ex hilari amicorum, aliorumque colloquio, vel adspectu oriri solet, modum definit. Liberalitas denique sive beneficientia dicitur illa quae circa pecunias, aut caetera quae liberaliter erogari consuescunt, modum tuetur, atque efficit ut in erogandis illis mediocritas quaedam, proportio, vel aequalitas habeatur. Quamvis autem liberalitas ipsa cum beneficentia facile confundi possit, sic tamen Cicero, & Aristoteles beneficentiam a liberalitate distinguunt, ut velint liberalitatem circa pecunias versari, cum beneficentia ad quaelibet bonorum genera dirigatur.

Ad huiusmodi vero virtutes facilius comparandas, atque erga alios commodius exercendas plurimum iuverit, si non modo purissima aequitatis, & honestatis iura animo, & oculis obversentur, verum etiam si caelestis ac divina propemodum animi nostri natura spectetur. Illa enim nitide nobis ostendet quid hominem deceat, quid honestum, decorumque sit, quid eximio virtutis nomine decoretur, atque insita virtutis semina, vel honestatis igniculos, ut inquit Cicero, vividius excitabit, quibus ad illustrem virtutum omnium gloriam impellamur, atque ingenito veluti sceleris, inhonesti, vel indecori horrore a vitiis omnibus avertamur.

COROLLARIVM II.

MEmoratis hactenus Virtutibus, quae erga caeteros homines naturali iure sunt exercendae, nullum magis opponitur vitium, quam iniustitia, quae est quasi omnium comprehensio vitiorum, quaeque est prava affectio consuetudine, & usu comparata, quae voluntatem inclinat ad ius violandum, videlicet si cui id negetur quod possit ipse iure suo postulare, deinde si auferatur quod iure suo possidet, tandem si per nefas malum alicui, aut damnum inferatur. Vitium amicitiae contra-

tra-

trarium inimicitia dicitur, quae non aliud esse videtur, nisi mutua inter duos, pluresve malevolae voluntatis dissensio. Nam qui inimici sunt inter se, ipsi sibi vicissim, & male cupiunt, & plerumque faciunt si possint. Quamobrem inimicitia a Tullio definitur ira ulciscendi tempus observans. Nos quidem nocere nemini unquam nec facto, nec voluntate debemus, tum quia id naturali iure cautum est, tum quia magnitudini repugnat. Si quem vero non nostra culpa, neque enim committendum est unquam ut quemquam iniuriis provocemus, infestum habeamus atque inimicum, summopere est enitendum, ut significatione benevolentiae, & officiorum in gratiam cum illo redeamus.

Vitium, quod omnes fines, modumque superat amicitiae, oppositum est assentatio, quae cernitur in ficto, & blando sermone, aut gestu composito ad delectandum cum non oportet, & amicitiam imitatur, cuius tamen venenum est, & pernicies. Sic habendum est, inquit Tullius, nullam in amicitiis pestem esse maiorem, quam adulationem, blanditias, assentationem; aperte adulantem nemo non videt, addit Tullius, nisi qui admodum est excors. Callidus ille, & occultus ne se insinuet cavendum est, nec enim facile agnoscitur, quippe qui etiam adversando saepe assentatur, & litigare se simulans blanditur, atque ad extremum dat manus, vincique se patitur, ut ipse qui illusus est, plus vicisse videatur.

Benevolentiae, qua caeteros homines complecti iubemur, oppositum vitium est malevolentia, hoc est prava animi affectio, qua optamus, ut aliis male sit, quaeque a Tullio definitur voluptas ex malo alterius sine emolumento suo. Quod sane vitium eorum proprium est, qui natura immites sunt, torvi, & angusto animo, timido, & suspicioso, & ignavo, omnia metuentes, inimici societatis, omnisque humanitatis expertes, qui libentius exterorum, quos ignorant, laudes audiunt, quam civium & domesticorum, eorumque, a quibus beneficiis plurimis cumulati fuere. Cum vero illud saepe contingat, ut qui in alienis exultant malis, in graves ipsi aerumnas incidant, & aliis, quos paulo ante contempserint, ludibrio sint, fortunae vice mutata, hinc meminisse oportet nos quoque iis obnoxios esse calamitatibus, quibus alii premuntur, ex quo fiet, ut quemadmodum nobis gratum est, ac periucundum omnes habere benevolos, ita omnibus cupiamus bene esse commutatis officiis benevolentiae, quam qui ex usu hominum tollunt, omnem iustitiae, liberalitatis, fidei, providentiae, aliarumque virtutum omnium causam sustulerunt.

Beneficentiae, qua caeteros prosequi ipso naturae iure monemur, cum iuxta Tullium liberale officium sit serere beneficium, ut metere possimus fructum, opponitur maleficentia, quae est prava quaedam affectio, qua fit, ut proclivis sit animus ad nocendum. Sunt autem qui nocent impellente cupiditate, hoc est aut utilitatis, aut voluptatis

causa, qui quidem, dum suis rebus prospiciunt, detrimentum inferunt alienis, pestes civitatum, rerumque publicarum; sunt alii qui innato quodam vitio naturae, & ingenii pravitate more ferarum trahuntur ad malefaciendum gratuito, inferendisque molestiis, & incommodis delectantur. Quos quidem non homines in societate constitutos, sed monstra potius dixerim, quae ad labefactandam, perturbandamque humanam societatem nata videntur.

PROPOSITIO V.

In quo potissimum optima hominis felicitas sit collocanda.

QVi de summo bono, sive ultimo hominis fine, & felicitate Philosophi differuerunt, in varias adeo discrepantesque sententia abiere, ut mirari certe quis possit de re gravissima sapientissimos etiam viros mirifice diffidere. Alii namque in summa corporis, & sensuum voluptate: alii in fortunae bonis, divitiis nimirum, honoribus, gloria: alii denique, ut sexcentos alios praetermittam, in sola sapientia, sive virtute perfectam hominis felicitatem collocarunt. At quid impurius, & absurdius sententia illa effingi potest, in qua hominis felicitas in sola corporis voluptate, sensuumque illecebris collocatur? Aut enim concedi debet incorporeos, atque immortales animos corporibus copulatos in hominibus non reperiri, aut animos ipsos per se nihil appetere, vel ad nullum finem dirigi, aut certe nobiliorem hanc, divinamque hominis partem ad vilioris, infimaeque partis voluptatem turpissime declinare. Quis vero sanae mentis afferat hominis felicitatem communem esse cum brutis, praesertim cum voluptas illa, quae in humano corpore percipitur, eadem prorsus, atque nobilior etiam a brutis comparetur, in quibus plurimi sensus, & organa humanis delicatiora, proindeque voluptati iucundius percipiendae aptiora deprehenduntur? Quid quod amaros deinde fructus, animique dolorem excitant in hominibus verecundia, amittendae voluptatis timor, futurique mali praevidentia, quibus omnibus carent bruta eo quod ratione destituantur? Nonne deinde iisdem prorsus rationibus illorum refelli potest sententia, qui summam hominis felicitatem in fortunae bonis sitam esse voluerunt? Illa namque extrinseca sunt, nihilque in animo efficiunt quo melior ille, & perfectior evadat, nec cum corporea atque incerta, & caduca sint, incorruptibilem atque immortalem animi cupiditatem complere valent. Accedit quod maxima sollicitudine, & labore divitiae comparantur, atque ubi congestae fuerint, maximo semper timore & anxietate servantur, ne qua temporum vicissitudine, hominum fraude, incendio, naufragio, & morte ipsa nobis invitis, atque moerentibus auferantur? Quid vero de honoribus, potestate, atque im-

perio

perio putabimus, nisi quod illa divitiarum instar cum labore possidentur, cum invidia conservantur, eosque ipsos, quos exornant, onerant, ac premunt? Omnia namque fortunae bona, Cicerone teste, caduca, fragilia, puerilibusque consentanea crepundiis sunt. Adfluunt subito, repente dilabuntur, nullo in loco, nulla in persona stabilibus nixa radicibus consistunt.

Quid vero de gravissima illa Stoicorum sententia censendum erit, quam antiquissimis temporibus mirifice floruisse legimus, quae omni corporis posthabita voluptate in sola sapientia sive virtute perfectam hominis felicitatem sitam esse tuetur? Non aliud certe de huiusmodi sententia sentiendum erit, nisi quod a Cicerone dictum accepimus, fieri nimirum non posse, ut eiusmodi sapientia sive virtus ab hominibus acquiratur, quae nullis aegritudinibus, nullo dolore, nulloque incommodo perturbatur, ideoque chimaericam hanc esse sapientiae speciem, nec ulla ratione veluti summum hominis bonum, ultimumque finem haberi posse, cum ab hominibus comparari, vel sperari quoque non possit.

Quibus ita se habentibus divini Platonis sententiae inhaerendum censemus, qui cum ultimum hominis finem summumque bonum inquireret, illud non in aliquo obiecto, vel re collocavit, quae in hac variabili mutabilique vita comparari posset, sed cum probe intelligeret, nos a Deo veluti fonte & principio profectos ad Deum ipsum veluti finem natura ipsa dirigi, animosque corpori superstites in illo puriori nobiliorique statu, quo a corporeis hisce vinculis veluti carcere solverentur, beatitatem esse habituros, Deum ipsum veluti summum bonum, finemque ultimum, perfectamque hominis felicitatem esse putavit; quae quidem Platonis sententia non gravissimis modo auctoritatibus, sed manifestissimis etiam rationibus fulcitur. Et sane ultimus hominis finis iure optimo ille censeri debet, ad quem ultimo a natura ipsa, vel a Deo homines diriguntur, ille scilicet, cuius amore Deus homines condidit. At quis optime non deprehendit, eiusmodi finem aliud esse non posse, quam Deum ipsum, qui non alterius obiecti amore vel gratia, sed propter seipsum solum operari potest, proindeque finis est, qui inquiri, appeti, vel amari potest, adeoque finis ultimus est ille, qui ultimi omnem amoris vim extinguere valeat; atqui Deus solus, ut omnibus in comperto est, infinita bonitas est, atque infinita bona complectitur, & insatiabilem humanae voluntatis ardorem extinguit; ergo ille solum finis ultimus erit, summumque bonum: & sane nil aliud finis ultimus hominis esse poterat, quam prima causa, primumque principium, a quo ipse veluti fonte profluxit. Si enim res tanto nobilior, & perfectior est, quanto nobilius, & perfectius participat ex causa, a qua producitur, tanto perfectior erit homo, quanto perfectius Deo ipsi coniungitur, atque illo fruitur, adeoque hominis felicitas, eiusque bea-

titudo nulla alia in re collocanda erit, nisi in unione, qua Deo arctissime adhaeret. Nonne tandem homines universi innato quodam pondere, atque impetu in illa feruntur, quae sibi similia sunt, ut apposite animadvertit Plato? singuli enim, inquit, in id quod sibi simillimum est a natura feruntur, ideoque perfecta hominis felicitas ultimusque finis consistere debet in illo, quod homini simillimum est. At quodnam aliud obiectum effingi poterit, nisi solus Deus, ad cuius imaginem, & similitudinem factus est homo, quem eleganter exprimit intellectu & voluntate? Ergo in Deo solum suprema hominis felicitas, summumque bonum collocari debet, ut proinde optime dixerit Plato „ *Finem esse Deo similem fieri* „. Quam sane felicitatem licet solis naturae viribus ab hominibus adhuc in terris agentibus perfecte comparari non posse certissimum sit, cum illa post mortem animo reservetur, aliqua tamen felicitas in hac vita haberi poterit, sive animus ipse Deo veluti fini partim cognitione, partim amore poterit coniungi; cognitione quidem, vel intellectu, quatenus ex sensibilium rerum contemplatione ad Deum ipsum agnoscendum possit assurgere, & praeclara ipsius attributa aliqua ratione percipere, potentiam scilicet, sapientiam, bonitatem, providentiam, sanctitatem, benignitatemque, aliaque huiusmodi, quae ex pulcherrimo rerum naturalium ordine, perfectionibusque, quae in iisdem occurrunt, facile derivantur. Cum vero Deum veluti summum legislatorem, ac moderatorem quisque contempletur, ritusque aliquos, veramque Religionem, sanctissimasque leges rationis nostrae lumini consentaneas ab ipso latas deprehendat, nonne in iis exequendis, debitumque cultum eidem exhibendum summopere allaborabit, ut cultu, & observantia non modo amorem ipsi, gratumque animum ostendat, sed ipsam quoque felicitatem, finemque ab ipso constitutum feliciter assequatur?

Amore vero, seu voluntate nonne Deo possumus inhaerere, quatenus illum, ut optimum, beneficentissimumque patrem diligamus? Non modo ergo animus clarissimo rationis lumine, vel intellectu Deo veluti primae veritati debet adhaerere, sed voluntate etiam ipsa Deo veluti summo bono coniungi debet, ingenuo nimirum sinceroque amore, quo Deum ipsum veluti auctorem, amantissimumque patrem veneretur, atque impense diligat. Si huiusmodi persuasio, sive consilium alte mortalium mentibus cordibusque insederit, quis aperte non videat tunc admirabili meliorique modo, qui in hac mortali vita sperari, vel optari fortasse possit, humanos animos Deo coniungi, adeoque aliqua beatitudine, sive felicitate donari, qua nulla melior, nulla nobilior inquiri possit, aut a philosophis ipsis, qui felicitatem, ultimumque finem scrutati sunt, inventa fuerit, quae denique potius felicitates omnes, ac bona, quae ab illis omnibus veluti finis haberi solent, in se mirifice complectatur?

F I N I S.

